





*Q. F. F. Q. S.*  
DISSE<sup>TT</sup>AT<sup>O</sup> IN<sup>A</sup>UG<sup>U</sup>R<sup>A</sup>LIS JURIDICA  
DE  
**IURE GEMELLORUM**  
*Vom Rechte der Zwillinge*  
*Quam*  
*AUSPICIIS JEHOVÆ*  
RECTORE ACADEMÆ MAGNIFICENTISSIMO  
*Serenissimo Principe ac Domino*  
*DOMINO*  
**GUilielmo Henrico**  
DUCE SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, MON.  
TIUM, ANGARIÆ, GUESTPHALIÆ, &c.  
DUCATUS ISENACENSIS HEREDE,  
*Ex Decreto Illustris JCtorum Ordinis*  
*In Florentissimâ ad Salam Academia*  
*PRÆSIDE*  
*ILLUSTRI ATQUE EXCELLENTISSIMO*  
**Dn. CHRISTIANO W<sup>IL</sup>DVOGEL / JCto**  
SERENISS. DUCIS SAXO-ISENACENSIS  
CONSILIARIO STATUS INTIMO,  
CURIÆ PROVINCIALIS ET SCABINATUS NEC NON  
FACULTATIS JURIDICÆ ASSESSORE GRAVISSIMO,  
ANTECESSORE CELEBERRIMO,  
Patrono, Hospite at Promotore suo multis nominibus devenerando  
Pro summis in utroque Jure HONORIBUS AC PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBUS ritè ac legitimè capessendis  
Placido Eruditorum examini submittit.  
**HENRICUS Grehenberg /**  
Longo-Salissâ Thur.  
Addiem Januar. A. O. R. M. DCCIII.  
Horis locoque solitis.  
JENÆ, Litteris MÜLLERIANIS.



CELEBERRIMÆ  
*Reipublicæ Salzensis*  
**DNN. CONSULIBUS**  
Totique Inclyto Senatorum Ordini  
**VIRIS**  
*Nobilissimis, Consultissimis,  
Amplissimis & Prudentissimis, Patronis  
atque Fautoribus estimissimis,*

Inauguralem hanc Disputationem

in debitæ observantia Symbolum

**D.D.D.**

**HENRICUS Kreyenberg.**

OS (3) 50



IN NOMINE NATI SALVATORIS.  
DISSERTATIONIS INAUGURALIS  
DE  
**JURE GEMELLORUM**  
CAPUT I.  
Exhibens  
*Nominis Explicationem, De-  
scriptionem & Divisionem.*

§. I.

**A**Djutorio sacrosanctæ Triados, ex lege Methodi haud insvetā, præliminarium explicationem, antequam ad substantialia perveniamus, præmittere non videtur incongruum; licet enim potior rerum, arg. l.3. S. 9. ff. de adim. & transfer. leg. prior tamen verborum ratio haberi debet, arg. l.1. ff. de Iust. & jur. l.1. S. 1. ff. de pac. verba namque rebus, non res verbis inserviunt, c. II. c. 22. q. 5. quoniam intelligentia rerum à verborum intellectu pender. Gell. l.3. c. 10. Hinc ut moribus nostris & tatis ali-

A 2

qua

qua ex parte satisfiat, in limine dissertationis nostræ, quæ extrinsecus occurunt, monebimus.

§. II. Dum inspicio rubricam, principiò sese offert vocabulum *Juris*, in cuius evolutione multum operæ laborisque potere vel immorari non allubescit, nec instituti nostri ratio permittit, de variis illius vocis conceptibus, qui in hoc vocabulo latent, admodum esse anxiū, vid. l. n. & 12. ff. de *Jus.* & *jur.* Sufficit in præsentiarum addidisse, *jus* nobis in discurso nostro idem denotare ac id, quod in iure de gemellis disponitur, seu quod circa gemellos justum & injustum est.

§. III. Meritò auspicamur ab Etymo, unde scilicet vox *Gemellarum* descendat, juxta præscriptum Ulpiani in l. i. pr. ff. de *Jus.* & *jur.* l. i. ff. de *reb.* *dub.* Et quidem si originem ex sedibus suis eruere velimus, fatendum, vocabulum hoc derivari à voce *Geminus*, cujus diminutivi formam constituant *Gemelli*. *Geminus* vero, prout Beermannus putat, origine Grammatica ex Hebræo γένιον & vocabulo græco ἀμά componitur, quod est adverbium temporis & idem ac *una cum*, *simul cum*, vel *eodem tempore* exprimit; nudà tamen divinatione ob additam dubitandi particulam *fortassis*, ab hac opinione recedere videtur celeberrimus Vossius in excellenti suo opere *Etymologico*, ubi ab antiquo verbo *geno*, pro *gigno*, originem derivare enititur, ut ita *geminus* dicatur quasi *genimus*, sicuti Græcis γόνυς à γένετο dicitur.

§. IV. Etymologiam excipit Homonymia, errorum mater fœcundissima, nisi diligens ejus evolutio sequatur; non unam vero semper aut eandem offendimus significacionem: nonnunquam enim designat id, quod duplicitum

55

tum est; quare à Galeno testiculi, qui alias ὄγκει appellari solent, gemellorum vocabulo, tanquam honoratiore veniunt, & δίδυμοι vocantur, vid. Solin. *Polyhistor.* c. 13. Ammian. l. 16. Eodem modo Paulus in l. 22. §. 1. ff. ad L. Aquil. gemellos vocat par jumentorum, videlicet mulorum aut equorum, quod nobis ein Paar audit: interdum admittit prædicari de signo cœlesti, quod in Zodiaco apparet, lucidissimis scilicet duabus stellis istius asterismi, qui vulgo Castor & Pollux audit, eoque à veteribus poëtis δίδυμοι dictæ sunt. Plin. *Histor. Natur.* lib. 18. c. 29. ob simillimam gemellorum effigiem: sed pro ratione instituti mei in nativâ suâ significatione vocem hanc considero, quatenus Gemelli denotant partus simul ab una matre editos.

§. V. Denique *gemini*, *pares*, *similes*, *equales* sunt Gemellarum synonyma & unum idemque fermè denotant, prout videre licet apud Varron. l. 9. p. 226. de lingv. lat. Qui plura habent eadem cum aliis, dicuntur *similiores*, qui vero proximè accedunt ad alia & omnia cum illis habent communia, dicuntur rectè *simillimi*; Etsi verò vocabulum *geminus* eandem cum gemellis habeat significationem, attamen circa hanc vocem notari meretur, de qualibet fermè re eam prædicari & communiter idem denotare, quod *duplex*, hinc *gemina suspicio* i. e. duplex, habetur in l. 9. C. de Mathemat. Et malef. *gemini* tramites in l. 22. §. 14. C. de jur. delib. *geminum facinus* l. 4. C. de sepulch. viol. *gemina arbor*; l. 10. ff. arb. furt. cas. quandoque etiam idem significat, quod *simile* aut *par*, quo sensu Cicero pro Rosc. inquit: *par est avaritia, similis improbitas, eadem impudicitia, gemina audacia,*

Idem porrò est nomen proprium præsidis aut proconsulis, ad quem Divus Pius rescriptit in l. 6. ff. ad L. Jul. de vi publ. Speciatim vero denotat duos uno partu natos & sic cum gemellis nostris convenit: quo pertinent Ciceronis verba pro Quint: Gajus & Lucius Fabricii fratres gemini fuerunt; Dicitur tamen etiam *gemina soror* pro ea, quæ est uterina, referente Calvinio in Lexic. Jurid. verb. *geminis*. Germanis talis partus exprimitur per vocabulum *Zwillinge* / quasi *zweylinge* / quod duo sint.

§. VI. Missis nominibus, quorum prior habenda erat ratio, ad rem ipsam merito nos accingimus, ut statim intelligatur, quid sit id, de quo disputatur: atque ita Gemellos definire allubescit, quod sint *partus animalium*, qui ex uno utero & uno die *simul nati sunt*, sive duo sive plures. Servius ad lib. XI. Aeneid. Isidor. lib. IX. c. 5.

§. VII. Quemadmodum in modo datâ definitione diximus, quod Gemelli sint, qui ex uno utero & uno die simul fuerint editi, ita verba haud obscurè indicant, ad gemellorum constitutionem requiri, ut unam habeant matrem, i. e. ut ex uno utero prodeant, nec non uno die, id est uno generationis tempore, quamvis non æque ipso die, quo alteruter gemellorum fuit editus; teste enim experientia constat, edito uno, alterum sæpius post duos, imò plures aliquando dies demum prove-nire.

§. VIII. Neque huic sententia refragari potest vocula *simul* in definitione apposita; nec res tam apertè absurdâ; satis enim superque notum est, rō *simul* non denotare semper *rāvto ἥ ἐνεστός*, cum juxta Tryphonini effa-tum in l. 15. ff. de flat. hom. natura non permiserit, simul uno

uno impetu duos infantes de utero matris exceedere ; sed dici s̄epissimē , cum tempora sunt proxima nec interrupta , imo secundum subjectam materiam diversa ; ita opera duo simul locata dicuntur ab uno & eodem homine diversis tamen temporibus . l. 26. ff. locat. conduct. atque testes simul signant instrumentum , quamvis non uno eodemque momento , actu tamen continuo . l. 21. C. de testam. l. 1. §. 6. ff. de bon. possess. secundum tabb. j. l. 16. §. 8. de pign. atque in l. 34. ff. ad Sct. Trebell. de duobus fratribus ruina vel naufragio simul mortuis queritur , quis prius , quis posterius mortem obierit ? sic simul significat communionem temporis , & quæ proxima sunt , vel quæ proximè fiunt , et si non eodem momento , conjungit . Vid. c. 1. de confut. in 6to. Strauch. Lexic. particular. in verb. *simil.*

§. IX. Proximè insequitur divisio , ad naturam rei cuiusque demonstrandam in primis conducens ; dividuntur autem Gemelli ita , ut alii sint irrationalis , puta bruta animantia , quæ s̄epius duplicitate fœtu prodeunt & dominum suum exhilarant , de quibus Virgilius :

modo namque gemellos

*spem gregis*

Alli rationales , homines scilicet anima rationali prædicti . Atque non minus inter gemellorum censem reputamus bicipites , quamvis alia membra non sint conduplicata , dummodo extra dubitationis sphæram ponamus , utrumque eorum caput proprium atque duas animas rationales in distinctis & quasi separatis corporibns habere , Zach. lib. 7. quæst. medic. legal. tit. 1. qu. 5. Alph. à Caranz. de part. legit. 17. n. 95. ita ut connexio membrorum communem

suc-

38 (8) 30

successionis ordinem in Nov. 11g. c. i. impedire vix possit,  
cum duplex sint persona gemelli, juxta l. 15. & 16. ff. de  
stat. hom. nisi unum caput alteri tantum ceu ruditus quæ-  
dam carnea moles adhæreat.

§. X. Porro dividimus Gemellos, quod alii sint  
simpliciter tales, alii Tergemini sive triplicati, imò quan-  
doque etiam quadrigemini & plures. Quamvis enim  
vox gemellorum regulariter duplicatum saltem fœtum  
denotet; haud tamen excludit partum numerosiorem:  
ad eoque ea, quæ de gemellis dicuntur, optimâ ratione  
ad tergeminos quoque extendi possunt. l. 3. ff. si pars  
bered. pet. ut hinc supervacaneum sit, de his peculiarem  
tractationem instituere: nec facit, quod numero discre-  
pent, cum nobis sufficere possit, in forma & modo na-  
scendi cum gemellis convenire.

§. XI. In nostris euidem terris Tergeminorum  
pauca, partus numerosioris nullum extare exemplum,  
negari nequit, ut supervacua videri possit tractatio, cum  
jura ferri oporteat, de his, quæ ἐπι τὸ πλεῖστον i. e. ut  
plurimum accidunt, non quæ ἐν παραλόγῳ i. e. exo-  
pinatò l. 3. ff. de legib. & ad ea potius debeat aptari jus,  
quæ & frequenter & facile, quam quæ perraro eveniunt,  
juxta l. 5. cod. quod enim semel aut bis existit, legislatores  
prætereunt. l. 3. ff. si pars bered. pet. imò nonnulli partum,  
qui unicus non sit, contra naturam esse asseverant; Verum  
enim vero ideo jura tam generaliter feruntur, ut Magi-  
stratus vel iudex, si quando casus rarior oblatus fuerit,  
leges generatim latas applicare possit, l. 12. ff. de legib. ne-  
que enim leges, neque Scta ita scribi possunt, ut omnes  
casus, qui quandoque inciderint, comprehendantur,  
sed

( 9 )

sed sufficit ea, quæ plerumque accident, contineri. l. 10.  
eod.

§. XII. Neque tam multa atque varia multiplicis  
partitionis exempla generali propositione fabulosis  
annumieris, in regionibus maximè fœtiferis, velut Ægypto,  
ubi frequentiores sunt multiparae, à fertili solo &  
majore mulierum virtute, sive Solini, Trogus, inquiens  
aut̄or affirmat in Ægypto septenos uno utero simul  
gigni: quod ibi minus mirum, cum fœtifero potu Nilus  
non tantum terrarum sed & hominum fecundet arva.  
vid. Aristot. l. 7. de hist. animal. c. 4. Petr. Garcias disp. 72.  
c. 3. n. 11. in fin. Plinii c. 3. adjiciens, Nilum potatum ita  
esse fœtiferum. Paulus in l. notissima 3. ff. si pars hered.  
pet. meminit non leves auctores tradidisse, quatuor puel-  
las à matrefamilias natas esse, & quinques quaternos ali-  
quām Peloponnesi enixam, multas Ægypti uno utero se-  
ptenos; Trigemini Horatii apud Romanos totidemque  
Curiatii apud Albanos exitere. d. 4. Imò idem Paulus  
auctore Lælio JCto scribit, se vidisse in palatio mulie-  
rem liberam, quæ ab Alexandria perducta, ut Hadria-  
no ostenderetur, cum quinque liberis, ex quibus qua-  
tuor eodem tempore enixa, quintum post diem qua-  
dragesimum; Id quod etiam l. 7. pr. ff. de reb. dub. con-  
firmatur. Sed & tergeminos senatores cinctos vidimus  
Horatios. Liv. l. 1. decad. 1. Plin. nat. hist. l. 7. c. 3. Quin  
l. 36. ff. desolation, auctoritate Aristotelis etiam quinque  
nasci posse, dicitur. Quidquid tamen sit, non nisi tergemi-  
norum ratio habetur in jure civili, ita, ut si quis uxorem  
reliquerit prægnantem, & filium habeat superstitem,  
quarta tantum pars eidem adsignetur, cum fieri possit,

B

ut

¶ ( io ) ¶  
ut tergemini nascantur. l. 3. ff. si pars hered. pet. & il. 7. pr.  
ff. de reb. dub.

§. XIII. Celebre illud puerperium Margarita  
thæ, Hollandæ Comitis uxoris, apponere placuit.  
Accidit illud sub Henrico Imperatore, sum dicta Comitissa  
unâ parturitione 365. liberos vivos eniteretur. Hujus me-  
morandi portenti totam historiam in tabula marmorea  
extantem adscribit Dalner de jure hom. p. 7. n. 22. In fronte  
namque Epitaphii scriptum erat majusculis literis:

*En tibi monstrorum nimis & memorabile factum: not.*  
*Quale nec à mundi conditione datum.*

Inscriptionem sequebatur historia hisce verbis: Margar-  
reta Hermanni comitis Hennebergia uxor, Quarti Flo-  
renii comitis Hollandie & Selandia filia, Guilielmi Regis  
Romanorum ac postea Cesariæ seu Gubernatoris Imperii  
atque Alitheja comitis Hannoviae soror cuius patruus Epi-  
scopus Trajectensis, avunculi autem filius Dux Brabantie  
& comes Thuringie, &c. Hec autem illustrissima comi-  
tissa annos 40. circiter nata, ipso die Parasceves nonam  
circiter horam, anno millesimo ducentissimo septuagesimo  
sesto 365. exixa est liberos, qui prius à Guidone suffraga-  
neo Trajectensi, omnes in duabus ex are pelvibus baptizati  
sunt, quorum masculi quotquot erant, JOHANNES, puer  
autem omnes, ELISABETHÆ vocata sunt, qui simul omnes  
cum matre, uno eodemque die fatis concesserunt, atque in  
hoc Laudunensi templo jacent sepulti. Quod quidem accidit,  
ob pauperculam quandam fœminam, que ex uno parti-  
gemello in ulnis gestabat pueros, quam rem ipsa admirata  
Comitissa, dicebat, id per unum virum fieri non posse  
ipsamque contumeliose rejectit. Unde hæc paupercula ani-  
mata

1703

(n)

mo perturbata ac perculta, mox tantum prolium numerum ac multitudinem ex uno partu imprecabatur, quot velut totius anni dies numerentur. Quod quidem preter naturam obstatuenda quadam ratione ita est factum, sicut in hac tabula in perpetuam hujus rei memoriam, ex veteribus, tam manuscriptis, quam typis excusis chronicis breviter positum & enarratum est. Deus ille ter Max. bac de rei suspiciendus, honorandus ac laudibus extollendus in sempiterna secula. Amen. Licet Harsdöfferus im großen Schauspiel lust und lehrreicher Geschichte potius commentum oriosorum monachorum id esse velit. Joannes Aventinus lib. 7. Ann. mulierem narrat sub Friderico II. Imp. mille quingentos ac quatuordecim fœtus enixa esse. Quod tamen non minus dubium est, quam historia comitis Margaretha. Plura exempla suppeditat Paulus Zachias quest. medico-legal. tit. XI. n. 6. Plin. hist. nat. lib. 7. c. 11. Petrus Schulzus de Polypedia c. 1. §. 24. atque alii.

## CAPUT II.

De

### Affectionibus Gemellorum tam Naturalibus quam Civilibus.

§. I.

**R**em quidem, quæ à Jctorum scholis aliena est, aggredior; nihilominus cum gemellorum jura examinari nequeant, nisi

B 2

prius

( 12 ) 50<sup>1</sup>

prius de eorum affectionibus pateat, hasce præmittere necesse erit. De causa igitur & ortu gemellorum varia sunt sententia. Sunt, qui putant, multiplicis foetus causam esse superfoitationem, è quorum numero est Aemylius Parisanus lib. 2. de Nobil. exerc. c. 8. ex. 1. Sed contrarium à Physicis jam satis est declaratum, & quidem auctoritate Hippocratis in libro de natura pueror. n. 44. & sqq. qui eadem in geminis esse conceptionis momenta tradit; Generationem igitur partus ex uno tantum maris ac foeminae congressu fieri, evincit Petri Garcias disp. 72. c. 2.  
de loc. affect. Fernel. lib. 7. de part. nat. c. 2. & latius Paulus Zachi quest. medico-legal. l. 1. tit. 3. qu. 3. n. 12. & sqq. Quare etiam Augustinus l. 5. de Civ. Dei c. 6. ait; nunquid & in conceptu, ubi unum concubitum esse manifestum est & tanta natura vis est, ut cum conceperit famina, deinde alterum concipere omnino non possit. Testantur etiam sacra litera Genesios cap. 38. quod Thamar ex Iuda socero geminos ex uno concubitu concepros fuit enixa. Quantitatem autem vel excellentiam seminis multiplicis partus causam esse, tradunt Petr. Garc. disp. 72. c. 3. n. 8. & 9. Gothofr. ad l. 36. ff. de solut. maxime si qualitas seminis cum abundantia concurrat. Bonaventura l. 3. de octomestr. part. c. 36.

S. II. Quoties igitur semini in partes scinditur, ut duo vel plures exinde oriuntur conceptus, mater habebit utrosque pueros, ut plurimum in una pellicula, propriis tamen vasis umbilicalibus donatos, auctoritate Hippocratis in libro de superf. Alioquin marem ad parturam usque dextram, foeminae verò sinistram contineri, ex eodem Hippocrate notavit Petr. Garcias d. disp. 72. c. 3.

n. 8.

n.8. Cæterum de Gemellorum statu in utero vid. Harsdörffer im Schauplatz Lehrreicher Geschichte tit. 142. n. 22. & scriptores, qui de obstetricantibus egerunt, quæ tamen disceptanda medicis relinquimus.

§. III. Pueris ita increcentibus, ut mater sufficiens alimentum suppeditare iis amplius non valeat, natura peculiarem excundi imperium tribuit, ita ut unus post alteram lucem aspiciat. Sed illud maximè disquiritur, quis nam ex duobus uno concubitu conceptis prior aut posterior secundum natura ordinem natus esse dicatur? Plures sunt, qui posterius conceptum primum ex utero exire dicunt, frivola utentes ratione, argumento sumto à sacco, diversis rebus onusto, atque posterius conceptum ostium uteri ita obserare dicunt, ut primo loco exire oporteat, quod ultimo loco est ingestum. Paul. Zach. quæst. medico-legal. lib. 9. tit. 12. qu. 2. Hinc etiam Hispanorum mores, teste Zeilero, in Itinerario Hisp. p. 69. ultimò natum, tanquam prius conceptum haberi volunt pro primogenito, cum per temporis prioritatem ratio ne conceptionis sibi id acquisiverit, quod primogenito debetur: haud secus ac in lapidum fodinis lapis ultimò effossus prior censemur esse concretus.

§. IV. Verum hac opinio, licet vulgaris sit, contrariatur tamen naturæ; supra enim adseratum fuit, gemellos ex uno eodemque coitu gigni. Prout autem semen in partes divisum fortius est, mulier citius concipit, & si debilius fuerit, constans vero Medicorum est adseratum, fœtus quo fortior sit, eo citius eum in lycem egredi, cum & is, qui prior conceptus augescendo in dies melius formetur & inde membra majus robur ad-

quirant. Tales autem à majori calore sine dubio regi, unde celerius non solum fermentur, sed etiam eo celeriori cum motu egrediantur, prout singula hæc latius dedit Paul. Zach. lib. 9. tit. 12. qv. 3.

S. V. Ad qualitates gemellorum naturales similitudo faciei quoque refertur, quam quidem ex eodem maximè temperamento procedere, nullum est dubium, juxta Hippocrat. in libro de dieta. Tanta enim contemporaneæ conceptionis habetur vis, ut natura ad suscipiendam magis hanc, quam illam formam determinet. Alph. à Caranz. de part. legit. c. 18. n. 46. Miram omnino hanc naturæ operam insigne fratrū geminorum, Medardū puta & Gerardi, exemplū exhibit, quos sibi adeo exitissimiles perhibent, ut non solum eodem die vitam iugressi, sed & eodem tempore ad summum honoris fastigium fuerint elevati, &, ne quid ad partatem deesset, eodem die mortem cum vitâ commutariint, referente Bæptistâ Fulgoſo in opere de dictis factis que memorabilibus, animis etiam ita concordes, ut Hippocli & Polystrato animi & morum paritare anteferantur. Neque id nudis adscribendum accidentibus, cum ex naturâ intrinsecâ proveniat, ut duo non solum specie, sed & in externis delineationibus & faciei præcipue effigie eandem  $\pi\lambda\epsilon\gamma\sigma\nu$  referant similitudinem, unde cum duos viros inter se maximè convenire videamus, eos gemellos appellamus, juxta Horat. Epist. l. 1. ad Fuscum.

Hac in re scilicet una  
Multum dissimiles, ad cetera pene gemelli.  
Quamvis vero natura non impedita ob vim semini infastam

ram, geminam prolem sibi met assimilare assivescat, non tamen hæc sola sufficit ad obtinendam fraternitatis vi-  
ctoriam, nisi alio adminiculo adjuvetur; ita enim dan-  
tur exempla quam plurima natorum, qui sibi de fa-  
cie similes, à diversis tamen parentibus orti. Exemplum  
ex fabulis gentium de Hercule & Iphicle, quorum alter  
Jovi, alter verò Amphitruoni similis natus esse dicitur;  
Aliud in Autolico & Philammone, quorum alter Mer-  
curii, alter Apollinis effigiem referebat. Plura habe-  
mus apud Schenckium lib. 4. Observ. tit. de superfæt.

§. VI. Hæc porro similitudo non solum in effi-  
gie, sed & affectuum paritate & morum conformitate  
est conspicua. Facit hæc, quam sape videmus, confor-  
mitas, quo minus in dubium vocemus Physicianorum tra-  
dita, gemellos subinde simul ægrotare, cum tanta sit  
naturæ virtus, ut idem facile possit operari. Hanc autem  
stellarum influxibus & constellationi, quæ dicitur, sunt,  
qui attribuunt, sed perperam. Quod si enim vel maxi-  
mè operationes astrorum in corpora & ingenia huma-  
na concedamus, gemelli tamen non uno statim mo-  
mento & sub uno horoscopo nascuntur, sed per intersti-  
tium sape aliquot horarum, & nonnunquam sub una con-  
stellatione fatali, alter concipitur masculus, alter foemina.  
August. lib. 5. de Civit. Dei c. 2. Hippocrates ergo lib. 1.  
de dieta tam peculiaris similitudinis causam non aliam  
esse dicit, quam quod ex eodem semine concepti, eo-  
dem sanguine nutriti, ac iisdem locis foti, imò similli-  
cum nati fuerint temperamentum. Neque aliam ob-  
causam fieri dicunt, quam ob temperamentorum con-  
venientiam ac similitudinem, ut foeminæ matribus, ma-

res ut plurimum patribus similes nascantur. Aristot. 7.  
de hist. animal. c. 5. Gratianus discept. forens. c. 567. n. 56.  
Alph. à Caranz. de part. legit. c. 18. n. 46.

§. VII. Naturæ vero cursu sæpius ex acciden-  
ti interverti, experientia abundè docet. Sicuti enim  
ex accidenti sit, ut aliquid interdum deficiat vel abun-  
det, ita nonnunquam evenit, ut contra communem  
naturæ ordinem geminatus partus non raro voluntate,  
affectibus, moribus allisque plane sit dissimilis. Exem-  
plum habemus in Elau & Jacobo, quos Paulus uno con-  
cubitu conceptos esse docet, licet non una utrius-  
que vitæ qualitas fuerit. Genes. 25. vers. 27. August. d.lib.  
c. 4. *Nati sunt, in quib[us] duo gemini antiquâ patrum*  
*memoria, ut de insignibus loquar, sic alter post alterum,*  
*ut posterior plantam prioris teneret. Tanta in eorum*  
*vita fuerunt moribusque diversa: tanta in actibus dispa-*  
*rilitas, tanta in parentum amore dissimilitudo, ut etiam*  
*inimicos eos inter se faceret ipsa distantia. Nunquid hoc*  
*dicitur, quia uno ambulante aliis sedebat. & alio dor-*  
*minente aliis vigilabat: alio loquente aliis tacbat: que*  
*pertinent ad illas minutias, que non possunt ab eis com-*  
*prehendi, qui constitutioni syderum, quâ quisque nascit[ur]*  
*adscribunt, unde Mathematici consuluntur. Unus*  
*duxit mercenariam servitutem, aliis non servivit: unus*  
*à matre diligebatur, aliis non diligebatur: unus bono-*  
*rem, qui magnus apud eos habebatur, amavit, alter ade-*  
*ptus est. Quid de uxoribus, quid de filiis, quid de rebus,*  
*quanta diversitas? Mentionem quoque facit Augustinus*  
*geminorum diversi sexus, quos præter actus ratione sexus*  
*diversos, instituto & proposito vita adeo scribit extitisse*  
*disparés,*

disparēs, ut masculus conjugatus, hæc sacra virgo: illus  
numerōsam prolem procreaverit, hæc nec nuperit, in-  
credibilis sanè nisi munera Dei pectorē agitemus, à cu-  
jus voluntate, nutu atque imperio omnia dependent.

§. VIII. A statu & affectione naturali pergimus  
ad civilem gemellorum statum, eumque vel dubi-  
um, vel certum. Contingit enim nonnun-  
quam, ut ex geminis vel tergininis, quis prior natus  
esse censeatur? dubitetur; præscribunt ergo jura vel con-  
suetudo certa criteria & notas, è quibus de primoge-  
niturâ erit judicandum. Quoties igitur præventio al-  
terius ex gemellis in nascendo est manifesta, nullum ex-  
surget dubium, illum, qui nativitate prior est, primo-  
genitum haberi, ita tamen, ut non sufficiat emissio cru-  
ris vel brachii, nisi totum corpus nascatur. Tiraq. *de jure*  
*primogenit. qv. i.n. 8.* Confirmat illud ipsum scriptura sacra,  
exemplo Serah & Perez, qui ex Thamar nati fuerunt ge-  
melli. Primum enim manum porrigentem filo coccineo  
notavit obstetrix, ejus tamen manu retractâ, alter Perez na-  
tivitatem anteverens, primogenitus factus. *Genes. 38. v. 28.*

§. IX. Natura equidem fert, unum post alterum  
exire, cum simul uno impetu duo infantes de utero  
matris non excedant *l. 15. ff. de stat. hom.* Obstetricum  
verò incuria nonnunquam sit, ut ignoretur planè, uter ex  
gemellis prior, uter posterior sit. Imo sæpius hoc incer-  
tum esse, nec per subtilitatem judiciale manifestari  
posse, ipse agnoscit Ulpianus *l. 10. S. 1. ff. de reb. dub.* Plu-  
res hac in re, si dubium oriatur, proponuntur à variis deci-  
siones, quas breviter percurremus. Et quidem, si masculus  
& foemina simul uno partu editi sint, masculus, ut robusti-  
or, prior ex carcere materno exiisse præsumitur. *d.l. 10. S. 1.*  
*Pacian. d. probat. l. 2. cap. ii. n. ii. seq.* Quod si verò ambo sint

masculi, itidem ex conjecturis quæstionem decidi debere  
 consentiunt, & quidem primogenitum nonnulli præ-  
 sumunt eum, qui robustior est, vel qui formosior.  
 Berl. p. 3. concl. 21. n. 42. & sqq. Brunn. ad l. 10. ff.  
 de reb. dub. Quam sententiam adprobat Paul. Zach.  
*quæst. medico-leg. lib. 9. tit. 12. qv. 5.* quantum ad robustio-  
 rem, idque per rationes ante allegatas, cùm is, qui  
 fortior est, & prius concipiatur & prius exeat. Formosita-  
 tem autem nihil communicare posse, ait, sc̄tui, ob quod ita  
 ortum acceleret, ut alterum gemellum in nascendo  
 præveniat; Bene tamen distinguendum dicit Zachias, in-  
 ter quæstionem de regnis & principatisbus, & quæstio-  
 nem de juribus privatorum. Illam enim ex jure gen-  
 tiū, hanc ex civili esse decidendam. Quare cum ju-  
 re naturæ non sufficiant conjecturæ ad causarum deci-  
 siones, neque inde jus constituantur, sed ex iis demum,  
 quæ certa & probata sunt; hinc conjecturam, quod is  
 dicendus sit primogenitus, qui robustior, non putat  
 sufficere. Atq; hinc alias decisiones Jcti habent, & quidem  
 latius hanc quæstionem examinat Andreas Tifaquellus,  
 tringita & liberorum & librorum parens, *de jure primogeni-  
 orum qv. 17.* qui præter jam enumeratas, alias opiniones ad-  
 fert, quas breviter hic adducemus. Primo dicir, quod quan-  
 do res commodè possit dividi, uterque succedat: si dividi  
 nequeat, iudicio sortis rem esse dirimendam. Alteram re-  
 fert ex Baldo *proemio ff. 8. itaque col. 2.* utrumque nim. de-  
 bere succedere, ratione additâ, quod sicut gemini in  
 cœlo, ita etiam in terrâ sint; hinc pares esse in jure, qui  
 fuerunt pares in nascendi æqualitate, *per gl. in l. Arescusa. 15.*  
*ff. de fstat. hom.* nec de jure naturali vel divino requiri, ut  
 regnum aliquod per unum regatur. Sed & tunc de no-  
 vo

vo questionem oriri dicit, quis in scriptis eorum prior sit nominandus, de quo etiam Tiraq. qv. 19. agit. Tertiam habet Imola, neutrum admitti, quia regnum dividii nequit; huic tamen opinioni occurunt alii, dicentes, licet regnum sit individuum, ex eo tamen non sequi, quod non possint duo fratres simul succedere: bene verò sequi, quod ambo in solidum sint reges, quia jus individuum, sive sit jurisdictio, sive aliud quidquam, competit pluribus in solidum, etiamsi competit jure hæreditario l. 2. §. 2. & 5. ff. de V. O. Quare non esse absurdum dicunt, quod etiam in summo principatu temporali sint duo principes in solidum; Ergo licet magis conveniat expeditat reip., unicum esse principem, tolerari tamen posse istum concursum principatus. Quartò dicunt, patrem eligere posse eum, quem veller, ut primogenitum succedere. Quintam adducunt, utrumque quidem posse succedere, ita tamen ut non ambo simul imperent, sed alternis annis. Sextò eum potiorem dicunt, qui possidet. Septimò locum gratificationi esse inquiunt populo, ut liberum sit, quem is ex gemellis velit eligere. arg. si quis à filio. §. 1. ff. de legat. 1. Octavò, dari quoque locum gratificationi superioris putant, & quidem teneri dominum gratificari honestiori. Nonò, quod pater possit eligere, & quidē juxta supra adductas jam dum tres opiniones, vel robustiorem, vel formosiorem esse eligendum, vel sortis judicio rem dirimendam. Has duodecim opiniones singulas deinde ad latum examinat Tiraquellus, rationibus in hanc & illam partem adductis, quō nos referre liceat.

§. X. Inter tot igitur Doctorum opiniones, qui sepe sibi ipsi non constant, arduum erit eligere, quæ sit optimæ;

non tamen negamus, modum maximè naturalem esse, si  
modò res, in quam succeditur, id patiatur, ambos simul suc-  
cedere. Quod si vero id non patiatur, atq; omnis præsum-  
tio cessa, tunc omnia sortis judicio rem esse diri-  
mendam, pronuntiat Dan. Mollerus ad *Confl. Sax.* p. 3. c.  
25. n. 17. Videlicet ita quoq; decisum in dicasterio Jenensi, uti  
habetur apud perillustrem Lynckerum cent. 8. dec. 781. Me-  
tellus namque, nobilis quidam hæredem in prædiis suis  
scriperat sororem unicam, Camillam, eâ conditione, ut  
primogenitus ex eâ natus in prædio F., secundogenitus in  
prædio Z. succederet. Soror verò Camilla cum præter  
spem maturè nimis in itinere gemellos esset enixa, à  
mulieribus autem paganis, qui aderant partui, obser-  
vatum non esset, quis primogenitus, quarebatur, quid  
hic in parte juris? atque ita fuit pronunciatum:  
Wie wohl nun in Zweifel einige den Stärksten wieder  
andere den Klügsten mit der Zeit vor den primogenitorum  
gehalten haben wollen. So wird doch solches füglich  
aufs Löß gestelllet/und ist denen Eltern unbekommen/den  
jenigen/welchem das Löß abfalllet/und doch etwa der erst  
geborene gewesen seyn mag/in andere Wege sein Vermö-  
gen zu ergrößern. Multis rationibus hanc controver-  
siam sortis judicio esse dirimendam, confirmat Tiraq. &  
quidem ex eo, quod omnia jura dicant, rem dubiam sorti  
esse committendam l. 14. ff. de judic. l. 5. ff. fam. ercisc. ibi-  
que ex omni historia plura exempla adducit.

§. XI. Sunt tamen, qui nihil certi definiri posse putent,  
illum modum præstantissimum habentes, quem judex,  
omnibus circumstantiis probè expensis, de sententiâ pru-  
dentum adhibuerit. Quam sententiam fovet B. Schu-  
bartus

( v )

bartus *Diss. de statu liberorum dubio & illegitimo.* §. 38. Ait decisionem solum arbitrio judicis relinquere, res periculosa est, nisi is certa norma atque censurā utatur. Quare vel ambos esse admittendos, vel si ratio illud non sinat, sorte rem esse dirimendam putamus, uti superius fuit dictum, utrumque tam in privatorum, quam principum successionibus locum habere putantes. vid. Dietrich. *ad A. B. tit. 7.* Rumelin. *ad A. B. dissert. 6. th. 8.*

§. XII. Nec tamen status gemellorum certus, tam in causis civilibus quam criminalibus, omni caret dubio. Patri sane concessum esse, filiis suis etiam nondum natis tutorem constituere, certum est, ut nimirum is, qui perfectæ aetatis non est, alterius tutelâ regatur §. 6. *Inst. de Attil. tut.* atque tam persona honestè educetur, quam bona per consequentiam legitimū habeant defensorem l. 12. §. 3. ff. *de admin. & peric. tut.* Atque hinc, si pater posthumo tutorem dederit, omnibus natis per eum consulere voluisse putandum est, licet venter duos vel tres natos simul emittat, arg. l. si quis ita. §. 1. ff. *de testam. tut.* Prisci enim libero ventri ita prospexerunt, ut in tempus nascendi omnia ei jura integra servarent, quoties de commodo ipsius partus quæritur, maximè in jure hereditatum l. 7. & 20. *pr. ff. de stat. hom. l. 30.* §. 1. ff. *de acquir. vel omitt. hered. l. 23. ff. de V. S.* cum illi jam mortis tempore intelligentur adfuisse l. 15. ff. *de V. S. l. 2.* §. 6. ff. *de Excus.* & credatur pater-familias sponte sua legitimam hereditatem iis reliquisse l. 8. §. 1. ff. *d. J. Cod.*

§. XIII. Quæ verò portio in suspenso esse debeat, si mulier prægnans relicta sit? haud sine causa quæsi- situm fuit, quia constare non poterat, quoniam libe-

ros mulier esset paritura: tergeminos enim Horatios apud Romanos editos fuisse, observat Paulus in l. 3. ff. si pars ber. pet. In dubiis igitur hereditatum evenitibus, ex mente juris auctorum, attendimus tergeminorum parturitionem, per verbale legis: *Quid est ergo? prudentissime juris auctores medietatem quandam secuti sunt, ut quod fieri non rarum admodum potest, intuerentur, id est, quia fieri poterat, ut tergeminii nascerentur, quartam partem superstiti filio adsignaverint.* Scilicet, quia evenire posset, ut tergeminii nascerentur, mulier prægnans ita habeatur, quasi ternos paritura esset, & venter mulieris gravidæ pro tribus personis computetur, adeoque coheres interim solam quartam partem petere potest, cui si pauciores fuerunt nati, residuum acerescit, si plures quam tres, de eâ parte tantum, quantum ultra natis competit, decrescit. l. 3. & 4. eod l. 36. ff. de solut. Dn. Struv. S. J. C. Ex. X. tb. 74. Atque hinc eadem spe multiplicis fœtūs, filius superstes pro quartâ tantum convenire & conveniri potest, quamvis postea unus tantum filius natus fuerit. l. sed & si restituatur, 28. §. f. ff. de judic.

§. XIV. Alphonsus quidem à Caranza Tr. d. part. natur. & legit. c. 18. n. 6. contrarium tenet, atque sibi displicere dicit hanc Pauli sententiam, quartam nim. partem in suspenso esse relinquendam, inanibusque eum medijs uti ad suam adstruendam sententiam, scribit: Neque Pauli rationem, quâ juris auctores prudentissime medietatem secuti, quartam partem ideo superstiti adsignarunt, ut quod fieri non raro admodum potest, sufficere putat, cum certo certius sit, frequentius reperiri uniparas mulieres, & rarissimè tergeminii eodem partu fuerint

fuerint editi. Legislatores autem non observare quod semel aut bis existit & raro fit, sed ad id respicere, quod fit plerumque. *I.3. ff. de leg. I.64. ff. de divers. reg. jur. Nov. 94. c. 2.* Quin & Paul. *Zach. lib. 1. tit. 2. qu. 8. n. 10.* hanc Pauli legem mediocritatem non observare, ait, cum nimis excedat id, quod plurimum fieri contingit, satisque mediocritas servata videatur, si *JCtus* geminos nasci posse fancivisset, & jam natum ex tertia parte heredem fecisset. Deinde injustum & à ratione deviam Pauli sententiam exinde elici posse, ait Caranza, quod superstes, qui semisse integro, ejusque fructibus ad alimenta indigeret, à matre vel avo interim, retento dodrante, promulgiere prægnante, alendus sit, quod sane perquam iniqvum est. Verum ex ipsis verbis legis *3. ff. si pars her. pet. facile patebit*, quid per medietatem intelligat Paulus. Quippe cum antea variae eorum traditiones, qui duos, tres, quatuor, quinque, imo septenos nasci posse putarunt, adduxerat, addit, se medietatem sequi velle, & cum non adeo rarum sit, tergeminos nasci, eō casum dirigere. Nec obstat possunt alimenta interim ab avo præstanda, cum omnino parentes, si deficiant bona liberorum, ad illa teneantur.

¶ XV. Adducit tamen leges in contrarium Caranza, per quas probare contendit, Pauli sententiam esse improbandam & non dodrantem, sed semilsem saltem pro nascituro esse reservandam. Et primò quidem provocat ad *I. utrum. 7. ff. de reb. dub.* Verum ista lex Pauli sententiam clare confirmat, dicit enim: *sin autem natus fuerit (posthumus,) utrosque accipere, quantum cuquier relictum est, ut uno nato pars tibi dividia debetur: duobus natis, terria tibi debeatur; tribus*

bus natis, quia trigemini quoque nascuntur, quarta debeat. Imò ipsa hæc lex rationem addit, cur nihil ultra tergeminos fuerit constitutum, cum sc. id, quod ultra tres nascitur, fere portentosum videatur. Quid clarius cum lege Pauli concordat? Deinde adducit *l.1.§.ff. si pars her. pet.* Verùm illa lex plane nullam partem determinat, sed tantum dicit, interdum prætorem incertæ partis hereditatis petironem indulgere. Incerta omnino pars est, quia, ut ipse Ulpianus rationem addit, quot edantur filii, incertum est. Neque contrariatur *l.3.§.10. ff. de suis & legit. hered. cum loquatur de tali casu*, quo mulier, quæ se prægnantem dicit, prægnans non est, ideoque superstes ex aſſe heres erit, ita ut integrum hereditatem ad heredem suum possit transmittere. Unica lex. *30. §. 6. ff. de acq. vel omittend. hered.* dubium movere potest: dicit enim Ictus: sicuti cum vacuo utero suis ex aſſe heres est, ita & cum unum gerit, nec per naturam humana conditionis alium partum formare potest, (quod quidem post certum tempus conceptionis eveniet) ex parte dimidia & ignorantem fore heredem, non ex quarta, ut Julianus putat. Sed si bene verba legis perpendimus, nec contrarietas quidpiam erit reliquum. Primò namque dicit, si mulier falsò se dixerit prægnantem, superstitem heredem ex aſſe esse. Deinde ponit casum, quo mulier unum partum gerit & unus tantum posthumus nascitur; atque tum decidit, superstitem esse heredem ex parte dimidiæ. Non igitur de eo casu hic agitur, quotnam partes hereditatis in suspense manere debeant? sed de eo saltē, ex qua parte superstes fiat heres; ideoque Paulus & Ulpianus sibi non contradicunt.

§.XVI.

§. XVI. Tres igitur partes ventri adfigantur, quoties incertum, quo nascituri sint. Iibi verò natura sufficit certitudo, ibi certum quoque judici esse debet. Ventre autem in lucem emissò, si pauciores fuerint nati, residuum adcrescit superstis; si plures quam tres, de cā parte tantum, quantum ultra natis competit, decrecscit. l. 4. ff. *S. pars her. pet. Hilliger. ad Donell. Dn. Struv. S. J. C. Ex. X. lib. 7. 4.* Putat quidem Simon à Groenevvegen ad l. 28. §. ult. ff. *de judic.* quoniam in hisce regionibus raro gemini, rarius tres uno partu nascantur, & ad ea potius debeat adaptari jus, quæ & frequenter & facile, quam quæ perraro & ex inopinatō eveniunt, ideo superstitem filium interim, dum partus adhuc incertus est, ex parte dimidiā magis fore heredem. Quod etiam Gallorum moribus esse receptum, testatur Autumnus in sua censura ad illam legem. Addit tamen Groenevvegen, satius esse atque humanius, in tempus nascendi omnia iura integra reservari, atque interim ventri curatorem dari. Id quod etiam hodiernis moribus servatur.

§. XVII. Apud Romanos nota erat lex Papia-Poppæa, quæ sub Augusto ad coelibes coercendos & augeundum ærarium fuerat sancta. Et hac quidem lege variæ poenæ statutæ erant orbis, à quibus ut immunes essent illi, qui uxores quidem habebant, sed nullos liberos procreaverant, petebant jus liberorum. Præcipue verò jus trium liberorum ad commoda ex Scio Tertulliano percipienda multum conducebat, cum ingenua trium liberorum jus habens, libertina quatuor, ad bonafiliorum filiarumve intestatō mortuorum admittretur §. 2. *Inst. de Scio Tertul.* Hæ autem jus trium liberorum

D

adi-

adipiscabantur, quæ trigeminos pepererant, prout habetur. l. 37 ff. de V.S. quæ ex Pauli lib. 2. ad legem Papiam Poppam desumpta est. Verum contradicit sibi Paulus lib. 4. sent. tit. 9. §. 2. ubi ait: *qua semel uno partu tres filios edidit, jus liberorum non consequitur: non enim ter peperisse, sed semel partum fudisse dicitur, nisi forte per intervalla pariat.* Quem textum licet conciliare contentur alii, dicentes, alium esse casum, ubi mulier uno impetu trigeminos ediderit; alium, ubi per intervalla eos fuderit, & posteriori casu certum utique esse, eam ad omnia commoda juri trium liberorum prescripta esse admittendam, quia totidem liberorum sit parens, quot successuri sunt partus. l. 15 ff. de stat. hom. secus in priori, quia cum una tantum sit parturio, matri ad commoda Scti Tertulliani ea prodesse non possit. Potius tamen est, ut cum Alph. à Cartanza c. 18. §. 41. faciamus, dicentes, trigeminos, quocunque modo nati sint, matri omnino ad successionem ex Scto Tertulliano prodesse, cum verum sit, eam tres filios edidisse & peperisse, eorumque matrem veram esse, id quod ex Tertull. Scto tantum requirebatur l. 2. ff. ad Sct. Tertull. Atque hoc non tantum valere, ait, ad vitandas poenas & odia legis Juliae & Papiae, sed etiam in omni alio casu odioso vel favorabili, sive de damno virando sive de lucro captando agatur, cum uxor sic verè & propriæ tres liberos peperisse dicatur.

§. XVIII. Antiquitus postliumos vel heredes instituere vel exheredare necessum erat; si tamen sub condizione exhereditatio erat facta, pendente conditione venter nihilominus in possessionem mittebatur l. 1. §. quare ff. de ventre in poss. mitr. ubi exhereditatio ita concepta legitur: *si nihili filius;*

*filius unus nascetur, ex heres esto.* Quid autem, si plures nascantur? Respondet Ulpianus ad. l. *Quia filia nasci potest, vel plures filii, vel filius & filia, venter in possessionem mittetur.* Satius est enim sub incerto ejus, quidetur, ali etiam eum, qui ex heredatus sit, quam cum, qui non sit ex heredatus, fame necari: ratumque esse debet, quod diminutum est, quamvis is nascatur, qui repellitur; Duobus itaque pluribusve simul natis, neuter ex heredationis formula subjacebit. Caranz. c. 18. n. 30, quoniam ex heredatio non nisi in eo, qui solus nascitur, locum habere potest, magis enim favendum liberis, quam testamento. Dec. in l. posthumo. C. de bon. poss. contr. tabb. Quid vero si testator posthumo legaverit, & plures nascantur? v. gr. si ita in testamento scriptum fuerit: *si quis filius mibi nascitur, ei heres meus centum dato;* Respondet Jctus: duobus posthumis natis singuli habebunt centum l. 17. §. 1. ff. de legat. i. Quare etiam si filiabus relictum fuerit legatum, sensisse videtur testator etiam de posthumis l. 17. pr. ff. eod. Maximè vero in libertate humaniore amplecti sententiam par est, sive unius facta fuerit mentio, sive plurium, cum omnes æque ad libertatem à primis cunabulis vocentur. l. 14. C. de fideicom. libert.

§. XIX. Alia quæstio moverit, si testator ita scriperit: *si post mortem meam uxor filium pepererit, filius ex besse, uxor ex triente heres esto;* si vero *filia nata sit, filia ex triente, uxore ex besse heres esto:* Nati autem fuerint gemelli filius & filia, annon ruptum sit testamentum? quia testator in eum casum, si filium & filiam pepererit, non videtur cavisse. Ast vero, cum utriusque & filii & filia in testamento mentio fuerit facta, duplex inde orietur jus. Quare res ita fuit decisa per l. si ita scriptum. 13. ff. de liber.

ber. & possb. videlicet, asem distribuendum esse in septem partes, ut ex his filius quatuor, uxor duas, filia unam partem habeat: itaenam secundum voluntatem testantis filius altero tanto amplius habebit quam uxor: item uxor altero tanto amplius quam filia. Licet enim subtile juris regule conveniebat ruptum fieri testamentum, attamen cum ex utroque nato testator voluerit uxorem aliquid babere, ideo ad hujusmodi sententiam, humanitate suggestore, decursum est: quod etiam *Juventio Celsus* aperitisimè placuit. Eandem ferè computationem sequitur Paulus in *I. Clemens Patronus.* 81. ff. de hered. insitut. ita scribens: *Clemens Patronus* testamento curaverat, ut si sibi filius natus fuisset, heres esset: si duo filii ex equis partibus heredes essent: si dua filia, similiter: si filius & filia, filio duas partes, filiae tertiam dederat: Duobus filiis & filia natis, querebatur, quemadmodum in proposita specie partes faciemus: cum filii, debeant partes esse, del etiam singuli duplo plus quam soror accipere. Quinque igitur fieri partes oportet, ut ex his binas masculi, unam feminam accipiat.

§. XX. Unicum adhuc de gemellis circa L. Aquiliam notari meretur, nimirum: si ex gemellis, aut parimularum vel equorum unum fuerit occisum, non solum perempti corporis estimationem faciendam esse, sed & ejus rationem haberi debere, quo cætera corpora depretiata sunt. 422. ff. ad L. Aquil. idque tam ratione damni emergentis quam lucri cestantis, modo utilitas circare rem ipsam consistat. Neque enim affectionis solius ratio in estimatione habenda est, cum pretia rerum non ex affectione, nec utilitate singulorum, sed com- muni-

¶ (29) §  
muniter fungantur. l. 33. ff. ad L. Aquil. l. 63. ff. ad L.  
Falcid. nisi dolus aut culpa singularis adversarii in-  
tercedat, tum enim determinatio ejus, quod interest,  
neque ad duplum restringitur, neque ad utilitatem circa  
rem proximam respicitur. l. 13 pr. ff. de act. emt. l. 6. §. 4. eod. l.  
19. §. 1. ff. locat. Dn. Struv. S. J. C. Ex. 44. tb. 5. n. 4. Quin &  
tunc aestimationem per juramentum in item affectio-  
nis fieri posse, non dubitamus, per l. 1. l. 2. §. 1. seqq. ff. d.  
juram. in lit. l. 68. ff. id. R. V.

### CAP. III.

#### DE

## Partu Gemellorum Cæsareo.

#### §. I.

**G**inter Gemellorum affinia refero Exfectos, unge-  
bohrne Kinder. Schilter. Manuduct. Philosoph.  
moralis. 4. §. 48. item Ausschnittlinge. Besold.  
in thesaur. pract. & Speidel. specul. jurid. polit.  
verb. exfecti. Qui magis hominum, quam naturæ ope lu-  
cem adspiciunt, cum & Paulus Ictus dicat in l. annicu-  
lus 132. ff. de V. S. falsum esse, eam peperisse, cui mortua  
filius exfectus est. j. l. si ergo. § partus ancilla. ff. de publ.  
in rem. act. quoniam mater in extractione foetus perse-  
ctionem haud ita operatur, ac si ὡρινόν partum ab  
utero excludat. Natura enim non secus generatione  
partus monstroſi vel abortus deficit vel deviat, quam

Si vel matris vel partus desideretur conatus. Quod si enim matris uterus sectione fuerit cæsus, talis partus exsectus ex censu naturalium videtur excludi, cum contra naturam insolita & inconsuetâ via exire cogatur. Hinc neque nati aut partus nomen huic aptari posse, ubi exitus omnem matris & foetus excludit actionem, ita, ut mulier vix obtineat legatum, sub conditione, si pepere rit relictum, statuit Jacob Rigos in d.l. 132. Imò matrem abortum fecisse, quando foetus præter naturæ ordinem emittit, affirmit Joannes Gutierrez. lib. 2. pract. quest. qu. 101. n. 3. confer Alph. à Caranz. c. 6. de gener. part. rat.

§. II. Alia tamen estratio foetus abortivi, utpote qui arguit imperfectionem, ut vivere non possit, cum desit debita maturitas & perfectio ad exercendas actiones vitales, quam partus execti, cum hic sit perfectus & ad partes vitales obeundas idoneus. Quare is etiam pro legitimo habendus, licet per horam vel momentum tantum vixerit, non secus enim acriter natu pro vitali habetur & successionis est capax. Caranz. c. 2. §. 4. n. 58. & c. 6. scđt. 1. n. 17. Nec tamen foetus septimestris ex utero matris exectus pro vitali est habendus, ut alii septimestres sponte & ex naturæ instinctu nati, cum foetus telis suâ naturâ debilis & imperfectus tantum vigorishabere non possit, ut mortuâ matre à cæso matris utero extractus transspirare amplius per se posit. Paul. Zach. quest. medicr-legal. tit. 2. n. 8. & sqq.

§. III. Neque simul cum matre foetus maturus atque perfectus in utero existens emoritur, quin potius spiritus per respirationem jam in foetum transmissi, celestante

sante licet ulteriori influxu, jam in ipso foetu agunt, ita ut is exsectoro ventre salvari possit atque pro vitali haberis, in ordine ad rumpendum testamentum. *l.6.pr. ff. de in-offic. testam l.12. ff. de lib. & postb.* nec non ad legitimam matris hereditatem acquirendam, tam secundum tabb. quam ab intestato, extitulo: *unde Cognati*, multoque magis *unde legitimi* l.1. §. *si qua pregnans. ff. unde cognat.* dummodo a matris excessu illlico venter aperiatur, quo foetus liberè respirare possit, ita ut in omnibus, exciso licet matris ute-ro, æquiparetur infanti naturaliter nato, eademque in utrovis militet ratio: obtento enim effectu non curamus de modo. *arg. l. si mater. 3. C. de insit. & subsit.* Atque ita Baldus, antiquus juris interpres, ad *l. ult. C. de suis & legit. hered. in emphyteusi* pro se & liberis nascituris relicta, consuluisse fatetur: ac in feudo Jacobus Ardiz. in rubrica *tituli de successione feudi* idem statuit. Conf. Curtius Ju-nior in *tr. feudorum. 2. par. qu. 14. n. 36.* Et hac ratione purificata censetur conditio in filio, exsectoro ventre edito, quando sub hac formula mulier in testamento aliquid fuerit relictum: *si tempore sua mortis filium habuerit: quoniam etiam ea mulier, cum moreretur, creditur filium habere, quæ exciso utero edere potest, l. 141. ff. de v. s.*

§. IX. Duobus vero masculis aperto matris utero simul editis, controversia ratione primogenitura vel Majoratus oriri & disquiriri potest, an in his eadem ratio ac in verè natis locum habeat? Baldus sanè in *proœmio ff. utrumque in regno vel principatu adimitit*, cum certum sit, quod cæsio utero materno omnes simul, & nullus eorum ante natus fuerit, licet voluntate extrahentis alter alter-

rum

rum prævenerit, ne sc. contra naturam foetui injuria infetur. Zachias quoq; quest. medico-legal. lib. 9. tit. 12. qu. 6. n. 12. regulariter gemellos, qui ex utero matris exempti, revera simul editos censendos esse putat, quia aperto utero simul in lucem pervenient, etsi forte separatio partium à corpore materno serius in altero fiat: id enim dependere à sola voluntate Chirurgi, non à casu, uti tunc, quando non festo ventre, sed loco consueto extrahitur is, qui prior in manus incidit. Haud tamen inane esse dicit laudatus autor, si in hoc etiam casu conjecturis & præsumptionibus locus detur, ex quibus habeatur primogenitus, non qui prior exsectus est, sed qui primò nasci debuisset. Illas autem ex majori vivacitate, fortitudine & meliori corporis structura unius, in comparatione ad alium, posse elicere. Quidquid tamen sit, in exsectis eadem videtur adesse ratio, ac in gemellis naturaliter editis, de quibus dubium est, quis prior vel posterior natus, maximè cum hoc in iisdem à voluntate Chirurgi dependeat. De illis autem in superioribus dictum, non tam conjecturis & præsumptionibus esse locum, quam potius vel utrosque esse admittendos, vel sortis judicio rem dirimendam, quare etiam eadem hic erunt applicanda.

CAP.

## CAPUT IV.

De

## Gemellis in utero mortuis.

§. I.

**A**ccidit nonnunquam ut Gemelli in utero mortui exspirent, nec vivi in lucem exeant de quibus idem juris est, quod de alia prole simpli- ci ante nativitatem extincta. Favorabilior nimirum s̄pē numero est causa partus nondum editi, quām pueri jam nati, idque effato Ulpiani in *I. i. §. 5.* & generaliter. *ff. de ventr. in poss. mitt. ibi : partui in hoc favetur, ut in lucem producatur : pueru, ut in familiam inducatur.* Partus namque propter spem nascendi per fictionem non natus pro filio habetur ac jam natus. Quare etiam leges s̄cūtūm in utero inclusum hominibus adnumerare maluerunt, ut jura illis serventur integra, si postea nasci eos contigerit. *I. 26. pr. ff. de stat. hom.* Neque dissimilem lex municipalis patitur interpretationem, quo minus in statuto de surrogando proximiore in locum Decurionis demortui, relicto fratre & filia prægnante, proximior in utero existens præferatur. *Alph. à Caranz. c. 2. §. 4. n. 47.* Mortis enim tempore in causa favorabili intelligendus est adfuisse, qui in utero relictus est. *I. 153. ff. de V. S.* dummodo postea vivus natus fuerit. Quoties vero fi- ctionis inducenda causa cessat, nec ratio superest, pro- pter quam haberi debeat pro aliquando concepto, ut- pote si in utero fuerit demortuus, tunc omnia cessant. *I. 15. is, cui ita. 18. ff. quando dies legat.*

E

§. II.

§. II. Morte enim filii gemellorumve in utero  
insecura, mortua est vis ac obligatio legis: cum iura ita  
sint accipienda, ut in utero existens habeatur pronato,  
si postea revera editus fuerit. *I. ult. C. de postb. hered. insit.* *I. 1. §. si quis proximior. ff. unde cognati.* Balduin. *in notis ad tit. ff. de stat. hom.* Aliter pro homine haud erit  
reputandus, nisi forma specifica & informans conjun-  
gatur materia corporeæ, juxta tradita per Canonistas  
per textum in cap. in quadam. 8. de celebr. Missar. nec in-  
universum legibus subesse poterit partus, si forte mor-  
tuus ex utero materno extrahatur, cum omne jus com-  
paratum sit hominis causa. *I. 2. ff. de stat. hom. §. fin. Insit de*  
*jure N.G. & C.* Ut hinc colligere liceat, præteritione  
posthumus non ruptum fieri testamentum, si tractu tem-  
poris vivus non processerit, vel formam sui generis non  
habuerit. *I. penult. C. de postb. her. insit.* quia videntur  
nunquam nati, qui mortui nascuntur. *I. 129. ff. de V. S.*  
Si enim mater abortum fecerit vel monstrum ediderit,  
non solum non retrofingimus natum antea fuisse, sed  
ne conceptum quidem, licet revera adfuerit conceptio.  
Alph. à Caranz. c. 2. §. 4. n. 49. Neque huic assertio contraria-  
tur Ulpianus in *I. 135. ff. de V. S.* juxta quam mulier capit  
legatum sub conditione relictum, *si pariat,* etiamsi  
potentosum vel monstruosum vel debile ediderit, vel  
quale visu vel vagitu novum, non humanae figuræ, sed  
alterius magis animalis partum. *Jctus enim id tan-*  
*tummodo respicit, quod mulier pepererit, nec illud ei*  
*imputetur, quod non fuit in ejus potestate. j. 1. 3. C. de*  
*inoff. testam.*

§. III. In quibusvis itaque privilegiis tacita conditione censetur adjecta: si natus fuerit, cum negata causa tollatur omnis effectus, ita ut contrario conditionis eventu inseculo, nullus amplius supersit favor ventris: quia non entis nullae sunt qualitates: Neque etiam res mortuis defenditur, neque horum progenie amplificatur, cum paria sint non nasci, vel mortuum editum foisse partum. In dubio vero semper vivus presumitur natus, si debito tempore & modo naturali fuerit editus, nec quidquam monstrosum vel prodigiis praesertim se ferat. Hinc summo simul verborum compendio inferimus, talem partum, qui mortuus editur, nec suum esse, nec legitimam illi deberi, nec pupillum dici posse, immo nec hominem; in favorem tamen libertatis talem etiam inter natos numerari, patet ex I. Arethusa aff. de statu hominis. Quid si vero partus nascatur vivus, ita tamen constitutus, ut secundum naturam vivere non possit? nihil secius erit legitimus atque successionis capax, juxta Carpz. p. 3. c. 17. d. 18. cum nihil intersit, perfecte & justo tempore, an vero imperfectus edatur partus, si modo vita ex vagitu vel corporis motu sit manifesta. I. quod dicitur. insin. ff. de liber. & postb. j. l. 3. C. de postb. & ber. insit. respondentibus ita Don. Lips. Ob nun wohl solches Kind nicht zeitig gewesen / und die Mutter mit demselben länger nicht / denn in sechsten Monath schwanger gangen/ dieweil aber dennoch beniemtes Kind gelebet und euren Bericht nach vor seinem Absterben etliche Scuffzerlein gethan se. So ist auch sein zuvor verstorbenen Vaters und Grossvaters Erbschaft auf dasselbige Kind kommen se. V. R. W.

§. IV. Quod si forte infans in ipso partu exspiret, antequam edatur? Nec tum pro vivo habebitur, licet capite vel medio forsitan corpore fuerit egressus, Alciatus in l. 129. ff. de V. S. Neque enim de infantilis in utero materno harentibus dici poterit, eos absolutam & perfectam habere nativitatem, ita ut tanquam legitimi succedere vel testamentum paternum possint rumpere; quemadmodum pronunciarunt Don. Scab. Lips. Ist N. verstorben / und hat nach sich sein Weib/eure Pflege-Frau schwangers Leibes an einem/und seinen Bruder Christoph N. an andern Theil nach sich verlassen: ob nun wohl gedachtes Hansen N. Withe in der neunten Woche nach ihres Mannes Tode zur Geburth gearbeitet. Dieweil ihr aber dennoch selbsten berichtet/ daß das Kind in der Geburth verstorben/und also nicht lebendig/ sondern todt zur Welt kommen/rc. so hat es auch auf beweiste Wittib/als seine Mutter einige Erbschaft nicht bringen noch verfallen können. V. R. W. Num. vero liberi sacramentis, immunitate mortis periculo. sint participes, si caput tanquam omnium sensuum atque virium habitaculum, extra uterum appareat? justa videtur subesse dubitandi causa. Nihilo vero secius verbo divino magis convenit totalis egressio, ita ut, antequam integer edatur partus, sacro fonte non lavetur. Dedeck. consl. theol. V. l. 2. de bapt. I a enim variarum Ecclesiarum constitutionibus sanctum legimus, in primis in Electoratu Sax. art. gen. lib. 6. cap. Von der Noth-Tauff ibi: demnach denn die heilige Tauffe ein Sacrament der Wieder-Geburth ist/ erfordert dieses Sacrament, daß das Kind/so das Sacrament der Wieder-Geburth empfahlen soll/zuvor an die Welt gebohren sey. Eadem fere verba leguntur in Ord. Eccles. Vinariens. cap. 12. Circa sepul-

sepulturam verò id observatur, ut si fœtus forte unum vel alterum mensem attigerit, non eadem ac alias moris est, adhibeantur ceremonia.

§. V. Ratione successionis igitur partus, antequam edatur, plane nulla habetur ratio: sive per infirmitatem naturalem, sive vi extrinsecus adjecta, ut potest uterum manibus comprimendo, vel lapide aut ligno percutiendo, aut fortiter cingendo, vel se in terram precipitando fuerit occisus. Quam verò nefandum hoc sit scelus, vel constituta in illud poena ejusque gravitas evincit, vid. fusius Illustris Dn. Præses in disp. de jure Embryonum c. 4. vix tamen, in nuptiis maximè, & bonæ famæ uxoribus violentia præsumitur, cum fœtus in matris utero non minus quam extra illum variis affectibus exponatur, quamvis in meretriculis consultius Petri Gregorii monitum, dum ad finem lib. 4. de republica cap. 1. ita ait: *Non debet pretermittere Rector reipublicæ curam inquirendi de pregnantium mulierum utero, ne incuria hæc tuti illegitimè concubentes metu infamie partus intercipiant, suffocent aut perdant. Et si quas ad hanc impietatem pervenisse detecterit, exemplari pœna debet punire, ut alie abslineantur. & ne piacula homicidiorum infantium committantur. Ex quibus non tantum subtrahitur persona reipublicæ, sed & saepe anima ipsa cœlo, dum sine baptismo animati partus suffocantur & ita vita eterna eis cum vita temporali adiungitur.*

Hic terminus esto atque erratorum venia.

*DEO SIT LAVS, HONOR ET GLORIA.*

THE GROWTH OF THE CHURCH IN THE UNITED STATES



**D**er Fleiß wünscht Fähigkeit; die  
Fähigkeit schaft Ehre,  
Womit Astridens Hand ge-  
schickten Söhnen lohnt/  
In deren treuer Brust die wahre  
Weisheit wohnt/  
Indem sie angefüllt mit heyl ger Rech-  
te Lehre.

**E**r kann / geehrter Freund /  
davon ein Zeugnüs geben/  
Den Themis diesen Tag mit ihren  
Purpur zie rt /  
Wie Fleiß die Fähigkeit ; und der die  
Ehr gebürt /  
In der Er nun hinsort wird hoch  
vergnüget leben.

Das werthe Vaterland wird dessen  
sich erfreuen/  
Es hoffet manchen Dienst von seinen  
flugen Rath  
Er wird die Hoffnung auch vergnü-  
gen in der That/  
Drum wünsch ich Glück dazu und  
vieles Wohlgedehey.

Augustus Hierdurch wolte dem Herrn DOCTORI  
als seinem hochwerthen Freunde bey  
würdig angenommenen Gradu seine  
Beyfreunde contestiren.

Augustus Bohse, Lic.  
Hofmeister

**ULB Halle**  
006 366 333

3



vol 18





6  
17.  
27.  
1803, 23.

**Q. F. F. Q. S.**  
*DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA*  
**DE**  
**IURE GEMELLORUM**  
*Vom Rechte der Zwillinge*  
*Quam*  
*AUSPICIIS JEHOVÆ*  
*RECTORE ACADEMÆ MAGNIFICENTISSIMO*  
*Serenissimo Principe ac Domino*  
*DOMINO*  
**GUILIELMO HENRICO**  
*DUCE SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, MON.*  
*TIUM, ANGARIÆ, GUESTPHALIÆ, &c.*  
*DUCATUS ISENACENSIS HEREDE,*  
*Ex Decreto Illustris JCtorum Ordinis*  
*In Florentissimâ ad Salam Academia*  
*PRÆSIDE*  
*ILLUSTRI ATQUE EXCELLENTISSIMO*  
**Dn. CHRISTIANO Bildvogel / JCto**  
*SERENISS. DUCIS SAXO-ISENACENSIS*  
*CONSILIARIO STATUS INTIMO,*  
*CURIÆ PROVINCIALIS ET SCABINATUS NEC NON*  
*FACULTATIS JURIDICÆ ASSESSORE GRAVISSIMO,*  
*ANTECESSORE CELEBERRIMO,*  
*Patrono, Hospite at Promotore suo multis nominibus devenerando*  
*Pro summis in utroque Jure HONORIBUS AC PRIVILEGIIS*  
*DOCTORALIBUS rite ac legitime capessendis*  
*Placido Eruditorum examini submittit.*  
**HENRICUS Steyenberg /**  
*Longo-Salissâ Thur.*  
*Addiem Januar. A. O. R. M. DCCIII.*  
*Horis locoque solitis.*  
**JENÆ, Litteris MÜLLERIANIS.**